

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Pefectionem, qua ratione iungit nos proximis, eo loco contineri: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: Et præceptum Christi vocari, propterea quòd contineat in se charitatem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](#)

& si omnia illustret, omnia decoret, tamen in loca sibi propinquiora efficacius beneficia sua operatio-
nis inducit. Idem ergo soles spirituales faciant, bar-
baros illuminent, infideles trahant, peccatores con-
uertant, externis subueniant; sed amoris opera in fra-
tres magis sibi, tum meritum, tum statu coniunctos
principiū conferant. Ut enim calor, qui manum co-
minus admotam non calefacit, eminus positam mul-
to minus calefaciet; sic ille, qui fratres magis utique
sibi copulatos non fouet obsequios, nec mulcet allo-
quii, minimè sciet extraneos, & quasi longe positos
operibus fouere, atque iuuare. Illis itaque, quos pro-
piores inuenimus, primum utiles & profici simus.
Hos principiū exemplo edificemus, laboribus adiu-
uemus, sedulitate obsequiamur. Si fortiores fueri-
mus, illud Pauli non excitat: Debemus nos firmio-
res, imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nos-
bis placere.] Tunc autem sustinemus, cùm infirmio-
res nosipso submittimus, eiūsque iram, aut iniuri-
am, aut animum ingratum perferimus. Scindum
enim est (inquit Cassianus) illum partes agere fortio-
res, qui voluntati fratri suam suuicet voluntatem,
quam eum qui in defendendis suis definitionibus,
ac tenendis pertinacior inuenitur. Ille enim susten-
tans, ac tolerans proximum sani ac validi, hic autem
infirmi & agrotantis quodammodo obtinet locum,
quem ita palpari necesse est, ac foueri, vt interdum
etiam à rebus necessariis pro eius quiete ac pace fa-
lubre sit aliquid relaxari.] Si autem nos sumus infirmio-
res, meminerimus, quod iuuando (pro posse)
alios, Dei potentissimi ac fortissimi auxilis dignos
nos reddimus. Magnū opus est, quod molimus nos-
ipso & alios perficere, firmior occurrat infirmiori,
infirmus vero faciat modicum, quod potest in auxi-
lium fortioris, vt Deum adiutorem experiat. Hac
enim ratione Nehemias celeste sibi auxilium pro-
mittit. Opus (inquit) grande est, & latum, & nos se-
parati sumus in muro procul, alter ab altero, in loco
quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc con-
currите ad nos.] Ex hoc autem quid fieri: Deus noster
(ait) pugnabit pro nobis.] Et nostrum opus quo-
que est magnum, & latum; magnum quia nihil mai-
us, & altius quam veram sanctitatem adipisci, caele-
stem patriam intrare, confortes Sanctorum & Beat-
orum spirituum fieri: & latum, quoniam nihil latius & diffusius, quam vniuersorum animas quære-
re, & omnes homines amore & spiritualibus obse-
quiis complecti. Nos autem separati sumus in hoc
Ecclesiæ muro, si non animo, saltē locis & terra-
rum spatiis. Vbicunque ergo audierimus aliquos ex
nostris, opem poscentes, & auxilium flagitantes, il-
luc accurramus omnes ad præsidium ferendum; ac-
curramus oratione pro eis fusa, accurramus labore,
& auxilio, opere illis præstito; Sic enim Deū nostrum
habebimus defensorem, & experiemur propugnatorem. Iste est præstantissimus perfectionis proximos
respicientis effectus, omnibus prodesse, omnibus uti-
les effici, ac vniuersis nos soles splendidissimos exhibere. Quem hoc perfecta charitatis fructu potitus
noverimus, non dubitemus infantiam & iuuentum
charitatis excessisse, & ad eius perueniente virilem
atatem, quæ in vera huius vitæ perfectione cōsistit.

Perfectionem, qua ratione iungit nos proxi-
mis, eo loco contineri: Hoc est præceptum
meum, vt diligatis inuicem, sicut dixi
vos: Et præceptum Christi vocari, pro-
pterea quod contineat in se charitatem Dei.

Rom. 15.

Cassian.
60.16.ca.
23.2. Esdræ
4.

A C A P. XXIX.
Perfectionis fructibus explicatis, quos in proximorum utilitatem profert, æquū est, vt quo loco fuerit a Christo Saluatorē nostro mādata, sigillatim inquiramus. Neque enim credendū est, doctorem perfectionis, atque iustitiae hanc perfectionis partem, quam tot operibus docuit, verbo & doctrina præteriisse. Neque inutilis erit ista inquisi-
tio, quæ Christi doctrinam de hac perfectione prædicatam inueniens, mirificè ciuidem perfectionis vim & naturam aperiet. Nam sicut unum verbum, & satis abbreviatum huius sacri Doctoris & veri Dei, expressius nobis perfectionem amoris erga Deum, quam verba omnium sapientium huius sæculi, expou-
suit; ita unum verbum eiusdem, absolute perfectionem amoris fraternali, quam omnia verba dotorum, explicabit. Verbum ergo Christi, quo perfectionem proximos respicientem iussit, atque præcepit, illud est, quod in concione habita in postrema cæna diges-
tit. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dixi vos.] Id quidem modus ferendi, ac promulgandi istud mandatum, apertissimè manifestat. In aliis nāmque mandatis, numquam Dominus hac formula loquendi vsus est. Hoc est præceptum meū, vt omnino non iuretis, vt Sabbatho sanctificetis, vt parentes honoretis. Numquam dixit: Hoc est præcep-
tum meum, vt non foremini, vt non mæchemini, vt non falsū testimonium loquamini. In dī (quod mirabilis est, & magis stuporem auget) numquam dixit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis Deum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & ex tota mente vestra, sicut ipse dilexit vos; sed dixit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dixi vos.] Quam ob causam hoc dilectionis præceptum, suum præceptum nuncupauit, nisi quia in eo, sicut in præcepto amoris erga Deum, quod manifelissimum erat, perfectionem mandabat, & totius legis, ac mandatorum finem, summam, & compendium exprimebat? Dicit aliquando pater, ex multis filiis, quos genuit, unum digito ostendens: Hic est filius meus, non quidem negans alios suos esse filios, sed eum, quem suum appellavit, dilectissimum, & chatissimum astruens, & declarans se erga illum maiorem habere charitatis, seu amoris affectum. Sic Christus, qui multa præceperat, multa mandata tulerauit, hoc fraternali dilectionis præcipiū vocat suum non quia alia non sint præcepta sua, cùm ipse sit supremus legislator, omnem legem gratia condens, & omnia eius mandata in medium producens, de quo scriptum est: Constitue Domine legislatorem super eos vt sciāt gentes, quoniam homines sunt.] Sed quia hoc præceptum, primum, ac præcipuum locum obtinet, dilectissimumque illi est. Et sicut Ioseph inter fratres suos, & sicut sol inter stellas splendidissimè fulget. Quare autem hoc præceptum reliquis præstantia, & amabilitate præstat, nisi quia præcipiū perfectionis est, quæ tamquam vitæ Christianæ finis omnibus aliis præceptis, quæ ad finem ordinantur, & præstantior iudicatur, & amabilior inuenitur?

Nec verò Dominus hoc solo modo loquendi frater-
nali dilectionis præcipiū, tamquam de perfectione
darum, aliis omnibus præstulit, sed etiam alio sa-
tis arcano, quo ipsum nouum mandatum appellavit. Mandatum (inquit) nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dixi vos.] Quare nouum, quod antiquissimum erat, & in lege veteri promulgatum? Certè quia nouo modo latum est, quia non quamcumque fratris dilectionem, sed perfectam, & consummatam
dilectionem periuit, & omnimodā dilectionis Christi

Ioann. 15.

Ioann. 15.

Psal. 9.

Ioann. 15.

erga

Cyril.lib.
9. in 10.
c.23.

Hebr.7.

erga nos, imitationem postulauit. Quod insinuat Cy-
rillus his verbis, Non tolummodò dixit; mandatum
nouum do vobis, vt diligatis iuicē, sed nouitatem
rei ostendens adiecit; sicut dilexi vos, ita & vos di-
ligatis iuicem.] Proclus mandatum nouum, quoniam
in lege veteri, licet supra externa dilectionis si-
gna, internam benevolentiam præceperit, numquam
tamen dilectionis perfectionem palam edocuit, nec
illusterrimo redemptoris exemplo declarauit. Quare
non incongruè huic loco illud Pauli adaptare possu-
mus: Reprobatio fit precedentis mandati, id est, an-
tiquatio, & obliteratio quadam, propter infirmitatem
eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectū ad-
duxit lex.] At gratia Christi hoc præceptum ad per-
fectionem usque prouexit, & modum, ac rationem
diligendi præscribens, & ad Christi imitationem im-
pellens, ipsam vitæ spiritualis perfectionem hoc man-
dato contentam, seständam, & amplectendam nobis
proposuit. Vocat ergo Christus dilectionis frater-
nam, sūa erga nos dilectionis imitaticem, mandatum
nouum, & præceptum suum, quia in eo gradu
mandat, quem veteris legis cultores numquam som-
niarunt, vt scilicet quis pro fratribus animam ponat,
& si opus fuerit, vitam corporalem profundat. Vocat
mandatum nouum, & præceptum suum, quia perfe-
ctionem præcipit. Iudeus quidem ex virtute legis ve-
teris inaccessam; nobis autem qui in Christum cre-
dimus, & Christi sequimur, virtute gratia satis per-
uiam, & accessibilem. Vocat præceptum suum, quia
sicut ipse Dominus vnu est, in quo omnia nostra
bona reposita agnoscimus, & omnium malorum re-
medium possidimus: ita dilectionis fraternæ præcep-
tum, tamquam suo auctori simile, & tamquā quad-
dam mirabile perfectionis compendium, omnia vitia
pellit, & omnes virtutes comprehendit. Vocat tan-
dem præceptum suum, quia proximorum dilectio ad
gradum perfectionis usque prouecta, cuncta habet,
qua dignissimum, ac sublimissimo præcepto, & planè
ipsi vita Christiana perfectioni conuenire debet.
Hæc sunt, vt perfectio hoc præcepto mandata, nos
Deo ultimo fini coniungat, omnem legem compleat,
imperfectionibus nostris medeat, proximis Christi
mēbris copulet, idoneos ad aliorū salutem faciat,
& virtutis nobilissime possidores efficiat. Propter
has ergo causas Christus Salvator noster, sanctam di-
lectionem suum præceptū, & nouum mandatum vo-
cavit, quas, cum ad ipsam perfectionis substantiā per-
tineat, non grauabitur ligillatim per tristate, ex quib[us]
manifestè cognoscimus fraternam dilectionem
partem perfectionis esse, & simal cum dilectione Dei
totam perfectionem, ac vitæ puritatem continere.

Vt autem ab eo quod primum & nobilissimum
est, incipiamus, dilectio fratrum ipsam continet pri-
orem & præstantiorem perfectionis partem, nempe
charitatem erga Deum, atque adeò ipsa per se nos
Deo summo bono nostro, ac ultimo fini coniungit.
Continet quidem charitatem erga Deum, non vna
tautum ratione, sed multis, ac variis modis. Primo scilicet,
eo modo quo materies formam, & corpus con-
tinet animam. Quemadmodum enim hominis caro
ab anima habet substantiam, & naturam humani cor-
poris, ea que recedente iam nō est corpus humanum,
sed cadaver inanime, sensu, motu, pulchritudine, vo-
ce, & aliis hominis proprietatibus destitutum; ita fra-
terna charitas ab amore Dei, cuius participatio in
fratre diligitur, habet tamquā ab specie, & forma
vera charitatis naturā, que substantiam. Quo amore
sublato non est vera proximi dilectio, sed factū simu-
lachru, statua insensibilis, cadaver inanime charita-
tis. Inquisitus enim Dominus, quod esset mandatum

A magnum in lege, respondit: Diliges Dominū Deum
tuum ex toto corde tuo,] Et statim subiunxit: Secun-
dum autem simile est huic: Diliges proximū tuum si-
cū te ipsum.] Non essent autē hæc duo præcepta si-
milia, si amor Dei, & proximi in principio & fine mi-
nimè conuenirent, & si candē non participarent substi-
tiam, atque naturā. Ut ergo, qui aureum annulū
gestare velleret in digito, figura etiā annuli gestet,
neceſſe est, sine qua annulus non subsisteret, neque ab ea
aueili, separarique potest; ita qui cupit mentem suam
fratrum dilectione exornare, non potet se posse pre-
termittere huius dilectionis veluti figuram, & splen-
dorem, charitatē scilicet Dei, quem solum in creatu-
ris diligimus. Hoc autem est quod ait Beatus Augu-
stinus. Nolite itaque fratres mei putare, in hoc quod
ait Dominus; Mandatum nouum do vobis, vt admiri-
cum diligatis,] illud maius pretermissemus esse māda-
tum, quo præcipitur, vt diligamus Dominum Deum
nostrum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mēte,] Tamquam enim hoc prætermisso videtur dictū, vt
diligatis iuicem, velut hoc ad alterum non per-
tineat, quo dictum est: Diliges proximū tuum tam-
quā te ipsum.] In his enim duobus præceptis (inquit)
tota lex pendet & prophetæ.] Sed bene intelligenti-
bus vtrumque inuenitur in singulis. Nam & qui dili-
git Deum, non potest eum contēnere præcipientem,
vt diligit proximū; & qui sancte, ac spiritualiter dili-
git proximum, quid in eo diligit nisi Deū;] O magna
amoris fraternæ præstantia! o incredibilis excellētia
fraternæ charitatis! o vera nostræ vitæ perfec̄tio, que
nec latum vnguem à Deo patitur separari! Iure optimo
magnanimā eam appellabo, qua creaturas trans-
cendens, & post se relinquens, diuinum in illis nu-
men solum inquirit. Sapientissimam quoque dicam,
siquidem sub humā natura infirmitate Deum
absconditum intuetur, & castissimo querit affectu.

D Deinde charitas Dei est in fraterna dilectione, sicut
causa est in effectu, qui ab ipsa promanat. Per amorē
enīm Dei (ait Gregorius) amor proximi gignitur, &
per amorem proximi, amor Dei nutritur. Nam qui
amare Deū negligit, profectō diligere proximum ne-
scit. Et tūc plenus in dilectione Dei proficimus, si in
eiūdēm dilectionis gremio prius proximi charitate
ligamur. Alspicis in rivo fontis claritatem, inspicis in
opere peritiae artificis, consideras in verbis sapientiam
oratoris, & in filio expressam sui Patris imaginem; sic
in amore proximi, Dei charitatem attente considera.
Charitas nāque Dei virgin nos, vt quem Deus amat,
& nos diligamus, quē Deus sustinet, & nos sustine-
mus, cui Deus decē millia talenta dimisit, & nos vi-
llissimū dimisimus obolum sparuum scilicet verbum
aut factū, quod aut minus consideratē in nos, aut etiā
perularer committit. Fraterna itaque charitas, tamquam
à causa, aut rāquam à parte perfectionis præcipua, pē-
det à charitate Dei. Sunt enim duo isti amores, duæ
quidem partes, sed unum totum ex utrisque compo-
nitum; duo annuli, sed catena; duæ actiones, sed una
virtus; duo opera, sed una charitas; duo apud Deum
merita, sed una sine alio inueniri impossibile est. Sunt
duæ pretiosissimæ gēma, uno tenuissimo filo ita illi-
gata, vt si unū tollis, aliam etiā attrahere necesse sit.
Intuere (inquit Chrysostomus) Dei dilectionem, tam-
quam catena quadā nostrā dilectioni connexā, idcir-
co nunc duo, nūc unū mādatū dicit, nemo enim pri-
mum sine altero assequi potest.] Nemo profectō Dei
amorē sine amore proximi inquā assequetur, dicen-
te Apostolo Ioāne. Qui habuerit substantiā huius mū-
di, & viderit fratré suū necessitatē habere, & clause-
rit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in
illo? Ac si diceret: nullo modo charitas Dei manet in

Matt.22.

Aug.tra.
65.in 10.

Gregor.7.
mor.6.10.

Chry.b6.
66.in 10.

1. 10. 3.

illo. Substantiam autem huius mundi habet, non solum qui huius saeculi fortunas possidet, & facultates, verum illus quoque, qui cum mundo renuncierit, habet tamen scientiam, qua ignorantem instruat: verbum eruditum, ut mentem recte; orationem, qua tribulato subueniat: auctoritate apud alios, ut elatum erigat; animi magnitudinem, ut iratum sustineat. Si quis his opulentus diuitiis fratrem suum videt in necessitate possum, & ei viscera charitatis occludit, de amore in Deum latit imprudenter se iactat. Huc enim beatus Iob, non solum dicit charitatem, sed etiam Domini timorem amississe. Qui tollit (inquit) ab amico suo misericordiam, timore Domini derelinquit.] Ita sanè est, timorem deferit, qui amicum non diligit, qui fratrum opem postulanti praesto non est. Neque enim acerbam illam extimescit sententiam: Quod vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti.] O verbum terrible! Qui detrahit fratri, Christo detrahit Salvatoris; qui proximo iniuriam infert, Christo infert Redemptori: nam iniurias minimis suis factas, in seipsum illatas arbitratur. An non Saulus discipulis minitanti iniurias, & cædes, dixit Dominus: Saulus Sauli quid me persequeris?] Christum persequebatur in membris, qui eius discipulos, membra scilicet sibi charifima ad mortem, & tormenta quererebat.

His quidem modis fratrum sancta dilectio, diuinus amoris præceptum amplectitur. Sed alia etiam nobilissima ratione ei annexa est, quia mirabil modo amoris diuinus affectus est proprietates. Amor quidem Dei ius est illius clarissimi fontis, nepe matris virtutum charitatis, quæ nos amicos Dei reddit, & sanctos. Pariter amor proximi, eiusdem fontis est riuius, à primo tamquam à fluuiu magno deductus, sine quo tamen præcipius ille amor imperfectus erit & mancus, dilectio Christi discipulo attestante. Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.] Ille nos amicos Dei, & filios facit; iste etiam Deianicos, & filios constituit. Vt enim optimè dixit Augustinus: Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen; cantent omnes Alleluia; baptizentur omnes; intrent omnes Ecclesiæ; faciant patres basilicarum: non discernuntur filii Dei à filiis Diaboli, nisi charitate. Qui enim diligit alterum, legem implevit (inquit apostolus) & plenitudo legis charitas.] Amor Dei opus est nostra voluntas in gratia præsidii adiutor, quo volumus bona sua principio omnium bonorum, scilicet Deo. Amor fratris etiam est voluntatis motus, quo fratri volumus, ut sit consors diuinarum bonorum. Ille, Deum amat sui ipsius gratia, nullumque alium finem requirit: Hic autem (vt diximus) eundem sibi finem proponit. Neque enim diligit frater, quia dives est, aut sapiens, aut beneficus, sed scopo præstatori, quia Deo charitus est, & quia ipse Deus suo præcepto fratribus amore fanciuit. Non est diuinus amoris præceptum speciale, instar quorundam mandatorum, quæ non omnia, sed certa personarum genera affringunt; sed generale, quod omnes, tam Angelos, quam homines comprehendit. Quædam enim præcepta obligant Prælatos; vt: Qui prætest in sollicitudine,] alia subditos; vt: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.] Hæc dites; vt: Debetiquo date elemosynæ.] Illa pauperes vt: Quærunt primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiciuntur vobis.] Ita obligant viros; vt: Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.] Illa feminas; vt: Mulieres subditæ estote viris, siue opus est in Domino.] At diuinus præceptum amoris, nullum, siue hominem, siue Angelum liberum derelinquit. Ille, Domine, à præcepto tui amoris eximis-

A tur, qui te nō credit suum esse principium; qui te non agnoscit, vt ultimum finem: qui te, ut supremum Dominum & patrem non veneratur; qui te fontem omnium bonorum non confiterit. Quod si fieri nō potest, vt aliquis neget has tibi inesse virtutes, pariter est impossibile, vt hanc amandi obligationem non subeat. Similiter fraternali amoris præceptū generale est, omnēsq; religat, ac deuincit. Si pauper es, stipe mendicantibus nō teneberis erogare. Si infirmus es, & inuidius ieiuniū obseruatione non astringeris. Si senex, nec vigilare nec laborare tibi incumbit. Si incœsus, & idiota, non tibi cura sit alios docere, & instruere. At, siue diues sis, aut pauper, siue corpore valeas, siue non valeas, siue senex sis, aut inuenis, lapiens, aut insipiens, fraternali dilectionis vinculo non es exolutus. Is fortassis ab amore fratris liber est, qui fratrem putat non eiusdem esse natura, qui existimat ad eisdem finis adoptionem non esse factum, neque eodem Christi sanguine redemptum, neque à Deo tenerimē amatum. Quod si nefas est hac de fratre aliquo existimare, nemo ab amore proximi liber existit.

B An non diuinus amor est amplissimus, qui in diuinam naturam tendit, naturam vixque incomprehensibilem, nullisque finibus concludam, aut terminis coactaram? Sic & amor proximarum finis habet incomparabilis latitudinis, qui Angelos & homines, hædeles, & infideles, dulcissimos amicos, & infestissimos inimicos capiunt. Os nostrum (inquit Paulus) patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, utique charitatem dilatatum, adeò ut certum sit, quod non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.] Quare hac etiam ratione, præter eam, quam suprà attigimus, Christus vocat nouum hoc amoris præceptum. Mandatum (inquit) nouum do vobis, ut diligatis inuicem.] Nouum vocatum est (ait lumen Ecclesiæ Beatus Thomas) non quia de novo mandatum, sed quia nouis discipulis, noua interpretatione expositum, & nouis exemplis noui hominis evidenter declaratum est, ac si diceret: Non appellat Dominus nouum præceptum suum, eo quod fit aliis mandatis recentius; nā sicut à creaturæ rationalis exordio viguit obligatio amoris Dei, ita vites habuit, & amoris proximi. Sed vocat nouum, quia recentissima quadam interpretatione promulgatum est. Non illa quidem antiqua Scribarum, quæ ita dicebat: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.] Sed hac noua, & omnibus animi votis suscipienda. Diligite inimicos vestros; benefacie iis, qui oderunt vos; orate pro persequitibus, & calumniatibus vobis, ut sit filii Patris vestri, qui in celis est. Vocatur nouum, quia tamquam vinum nouum, non in vites veteres, sed in vites novos missum est; omnium in sanctos Apostolos, ac viros Apostolicos sancti Spiritus gratia induitos, ac informatos. Vocatur nouum, quia nouis homo Christus non solum noua doctrina docuit, sed novis ac mirabilibus exemplis discrinxit, dum patibulo affixus, nimicos dilexit, & cum clamore valido, & lachrymis pro persecutoribus exoravit. Et quidem si charitatis primum præceptum est sapientissimum, illud scilicet, quo erga Deum amore afficiuntur; unde inquit Regius vates: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.] Nam qui Deum diligit prudenter in se intropicit, quæ mala sunt, ut evitent; & quæ bona, ut ipsa perficiat. Similiter est sapientissimum secundum mandatum, quo proximum amore prosequimur. Nec immerito sanè verbis sancti David tantisper immutatis, possemus dicere: Præceptum Christi lucidum illuminans oculos.] hoc nimirum, quod nostrarudite differimus, de quo sic effatus est. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem,

2. Cor. 6.

Ioan. 13.

D.Thom.
trac̄. de
xist. pro
xim. ca.
2.1.

Matt. 5.

Ibidem.

Hebre. 5.

Psal. 18.

Ioan. 15.

Rom. 22.

Hebre. 13.

Lucas 11.

ad 1 Cor. 6.

Coloss. 3.

Coloss. 3.

Coloss. 3.

inuicem, sicut dixi vós.] Nam qui proximi dilectione ceneret, inimicū est, quām sit sapient ad cauendum, quām fratribus noxia sunt, & præstandū quā uilia: Pulchrum est videre, quām sit pronus ad miserationem, quām sit tardus ad iram, quām sit sollicitus, fratri casus, & infermitates cōregere, nī ab oculis spiritualis medici, qui curationem, & medelā est allatorus. Sane (inquit familiā religiosa) quam Dominus hac pretiosissima gemma dītauit) de excelsō misit ignem in ossibus meis, & eruditū me.] De excelsō planē sanctus amor emittit, quia nō est res humana, sed supra natūrā, suprāque vires proximū diligere non utilitatis, aut voluptris obtentu. De excelsō in ossibus mittitur, hoc est, in illis, qui à seculo liberati, fortitudine & constantia obdurescunt, & instar ossium Ecclesiam fulcunt, atque sustentant. Et quod mittitur, non est nisi ignis, mala quidem ossium consumens, & oculos internos illuminans, ut sapienter sciant fratribus bona, & utilia præstare.

Tandem, alia præcepta temporalia sunt, quae, aut post annos mutantur, aut post aetatem, aut legem antiquantur, aut certè cum ipso tempore intereunt. Præceptum obseruandi Sabbatum, in obseruationem diei dominicæ mutantum est: Præcepta ceremonialia cum lege veteri abolita: Moralia multa cum tempore finem habitura. Neque enim in illa cœlesti, quam inquirimus, ciuitate mandata fortitudinis, aut temperantie vigebunt, vbi nullum est, quod subeamus periculum; nulla carnis illecebra, quam vincamus; ibi non obligabit fides, quia dabitur clara visio, neque spes, quando erit secura posseſſio. Præceptum vero amoris Dei, nō est temporale, sed perpetuum. Ut enim sapienter dixit Cassianus: Omnia dona pro vī ac necessitate tribuantur ad tempus, consummata dispensatione, mox proculdubio transiūt; Charitas vero nullo interceptetur tempore. Non solum enim in presenti utiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatibus abiecta efficacior multo, atque excellenter permanebit; nullo vñquam corrumpenda defecit, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhaerit.] In hac enim vita mortali Deum amare incipimus, in futura vero, atque immortali amare prosequemur, & numquā amare finiemus. Hic diligimus minus perfectè; ibi diligimus omnino perfectè. Nīc amor Dei est tamquam ignis extra propriam spharam, vbi extingui potest; tunc erit intra propriam spharam, vbi extingui, & minuī potest. Ignis enim Dei est in Sion, & caminus ignis in Hierusalem.] Amor quippe quem in mentibus nostris accedit, est à camino extractus in Sion, hoc est in Ecclesia, quæ nunc militat, erit vero tamquam in camino, in Ecclesia quæ triumphat. Hanc etiam amor proximi continet perfectionem. Etenim perpetuus est, numquāque finem habiturus. Charitas (inquit Paulus) numquam excidit: siue prophetia euacuabitur, siue lingua cessabit, siue scientia destruetur.] Vnde Augustinus; Perfeccio in cœlesti regno lex aeterna seruabitur, & illa duo præcepta de diligendo Deo, & proximo non in lectione, sed in ipsa perfecta, & sempiterna dilectione tenemus.] In hac vita proximum amamus, & in futura perfectius & ardenter amabimus. Hic amor habet aliud temporis, & imperfectionis; ibi & seruidus valde & omnino perfectus existet. Amabimus ibi magis meliores, & sanctiores, summoq; regi magis coniunctos: minores vero non tabescunt inuidia. O felix charitatis regnum (inquit Richardus de sancto Victore) quod manet in æternum! felix regnum quod numquam dissipabitur, quod populo alteri in æternum non dabatur! Si igitur fratrum sancta dile-

Thren. 5.

Cassia.
col. 1. ca.
xi.

Isaia 31.

1. Cor. 13.

Aug. 1.
retract.
c. 16.Richard.
lib. de sō-
nio Na-
buc. c. 24.

ctio tam magna, & perfecta est, ut Dei dilectioni, id est, omnium bonorum fontem annexam habeat; quis dubiteret eam nos D̄eo ipsi copulare, atq; adeo ipsam perfectionis naturam contineret. Et quis non videat, quāmpræ Christi præceptum appellata est, quæ nos fratribus amore iungens, ad Deianorem allicit, & perfectè seruata, in fatigium perfectionis extollit.

*Perfectionem fraterne charitatis præceptum
Christi esse vocatam, quia continet aliam
perfectionis proprietatem, quod ad om-
nem legem custodiendam inclinat.*

C A P. XXX.

Ihc perfectionis pars, quæ nos ad proximos, ac fratres ordinat, continet in seipso charitatem erga Deū, quia facit nos diligere fratres propter Deum, non sentire arduū, aut difficile, atia omnia præcepta continere, & ad corum custodian fideliū mētes inuitare. Et verē id ita est: Nam sicut diuinus amor est abundantissimus fons, à quo emanat fraterne dilectio; ita huc est instar fluminis, ex quo riuelū deriuantur aliorum omnium præceptorū. Nam qui perfide diligit fratrem, nihil in absolutissima aliorum obseruatione mandatorū, aut difficile, aut molestum inueniet. Hoc autē significat illa Apostoli diuina sententia. Qui enim proximum diligis, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.] Hoc sane præcepto omnia alia instaurantur, hoc est, perficiuntur, & cumulatissimum implentur. Quoniam si adulteres, non diligis illum cuius vxorem seduxisti: si homicida, satis manifeste odisti eum, cuius vitam sustulisti: si fur, alienus es à fratre, cuius diuicias surripuisti: si falsus testis, abominaris eum, cui honorē detraхisti: si aliena rei cupidus appetitor, iniuriosus es in eos, quorum res appetiūsti: Nam motus internus animi operi extero æqualis reputatur, dicente Domino. Amen dico vobis, quod omnis qui viderit mulierē ad concupiscentium eam, iam incechatus est eam in corde suo.] Si odium proximi, omnis iniuria in illum commissum principium est: dilectio proximi erit omnis innocentia, atque integratissima origo. Vbi autem integritas vita ac morum est, ibi necessariō inuenitur perfecta legis obseruatio, & omnium mandatorū custodia: Quemadmodum vero hæc latalia crimina fraternali dilectioni omnino defraudent: ita minoria, & leviora peccata illam eneruant, ac minuunt. Si quis enim plus aequo fratrem diligit { nam & est in amore nimetas } vel saltem externa familiaritatis signa exhibet immoderatius, non minus profecto amorem fraternali in religione ledit, quām si rixas, & contentiones suscitaret. Quod quidem ego dicere non auderem, nisi Beatus Basilius prius, ita verbis grauiissimis docuiflet. At qui in congreguvnum præ aliis charum habet, is seipsum rectum facit, cūm perfecta charitate non sit præditus. Quapropter ab omnī societate & congreguū procul arecatur singularis ista affectio, perinde ac pugna quādam indecens; nam vt hac manifestas perducit inimicitias, sic illa inuidiā, & similitates generat.] Quod si amoris nonnulla immoderatio dilectionem offendit, quid nouū laet-

Rom. 13.

Matt. 5.

Basi. ora.
1. de amo-
re Dei &
proximi.